



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Spes & Fiducia, Cuius Iudicisqve Dei, Erga Homines In Hac
Vita Existentes, Firmata**

Stengel, Georg

[S.l.], 1645

§. 3. Nolle Deum, vt quisquam spe veniæ deturbetur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49823](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49823)

Gen. 3. 13. *Maior est iniquitas mea, quam ut veniam merear; quasi aliquid maius esse possit magnitudine diuinæ bonitatis. Meritò quidem ante oculos versari debet peccatori scelerum enormitas, sed iuxta etiam ponenda est misericordiæ Dei magnitudo. Si quis iam lapsus, & nimio sceleris pondere oppressus desperare iam cœpit, ait Hipponensis Præsul; attendat vulneris magnitudinem, sed non desperet medici potestatem: peccatum enim cum desperatione, certa mors est. Nemo dicat, ego, si iam aliquid mali feci, iam damnatus sum; Deus malis talibus non ignoscit. Cur non addo peccata peccatis, fruor seculo, in voluptate lasciuia, in cupiditate nefaria. Iam perdita spe reparationis, vel hoc habeam, quod video; si non possum habere, quod credo. Deus enim noster sic cautos fecit, quando ceciderunt: sic desperatos esse non vult, qui ceciderunt.*

**S. Augu-
stin. l. 50.
homil.
hom. 21.**

§. III.

Nolle Deum, ut quisquam spe veniæ deturbetur.

Quemadmodum neq; Iudam sic voluit esse desperatum: voluit tamen ipse desperare Iudas penitentiâ ductus, sine diuinæ misericordiæ recordatione. Habebat lachrymas Petrus pio, quas fundebat, affectu: ait D. Ambro-

Ambrosius, non habebat proditor fletus, quibus sacrilegium fateretur: ut, dum suo reus iudicio damnatur, & spontaneo supplicio expiatur facinus: pietas Domini, qui se ipse nollet ulcisci, & diuinitas probaretur, qui conscientiam mentis inuisibili potestate interrogaret. Usque adeo magna est Domini pietas, ut vel, in ipso proditore suo, se se nollet ulcisci; usque adeo magna vis conscientiae, ut, ubi carnifex deest, laqueo se ipsa plectat. Non vult tamen hoc Deus, qui ait: *Nolo mortem impij, sed ut conuertatur impius a via sua, & viuat.* Itaque de illis non est desperandum, qui adhuc mala sua non solum corrigere nolunt, sed etiam defendere non erubescunt. Sic nec illa ciuitas desperata fuit, de qua dictum est: *Adhuc triduum, & Ninine subuertetur.* In ipso tamen triduo idonea fuit conuerti, orare, plangere, & de poena imminente misericordiam promereri. Ita Augustinus, qui alio loco addit: *Nemo de peccati sui dimissione desperet, quando & veniam meruerunt, qui Christum occiderunt.* Item: *Quid autem conuerso non ignoscitur? Quis homicida desperet? si in spem redditus est, a quo etiam Christus occisus est?* At sunt quaedam scelera, & quoddam genus sceleratorum, de quibus plerique desperant? cum & ipsi (scilicet

S. Ambrosii
lib. 1. cap. 19.
super Lucam
can. 6. 33.

Ezech. 33.
11.
S. Augustini. l. 50.
homil.
hom. 20.

Tract. 30.
in Io. &
serm. 36.

auari, luxuriosi, venefici & magi) plerumque soleant desperare? Esse tales, non nego; desperandum tamen illis esse, pernego.

§. IV.

Quenam genera peccantium maxime de spe decidant?

Baronius
1017.

Circa annum Christi 1017. in Aquitania, ante D. Io. Baptistæ festum, tribus diebus, è cælo, pluuia sanguinis cecidit; qui cum in lapidem aut carnem incidisset, non poterat elui; si verò supra lignum lapsus esset, lauabatur. De hac re consultus Fulbertus Episcopus Carnotensis, *per lapidem, inquit, impij, per carnem fornicarij significantur; per lignum medij, qui neq, molles, ut caro, neq, ut lapis duri.* Addit *impios, & fornicarios indelebili nota, in sanguine suo, morituros; medios, per mortis angustiam, saluandos.* Verè lapides sunt homines impij, & indurato corde; apud quos *sanguis sanguinem tetigit, qui peccatum peccato addiderunt; postquam enim toti sunt scelere, velut impuro cruore, inquinati, addunt alium sanguinem, qui priorem deleri non sinit, desperationem.* Quod etiam *carni deditis accidit; qui adeò plerumque molles sunt, ut existiment, se voluptates corporis non posse abdicare, atque*